



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. III. Quid sentiendum de regulis SS. ordinum præsertim S. P. Benedicti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

indeterminatè vel ad actum, vel ad pœnam: ergo istæ leges obligant, vel non obligant determinatè ad actum.

5. Inferes secundò. Si in lege humana non satis clarè exprimat intentio obligandi ad actum, de quo lex primò disponit, non esse censendam obligationem determinatè ad actum, sed vel tantum ad pœnam, vel ad alterutrum disjunctivè: quia in obscuris minimum est sequendum per Reg. 30. Juris in 6. Et contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda. Reg. 57. in 6. Cæterum intentio obligandi in conscientia ad actum, de quo lex disponit, colligi potest ex terminis legis, veluti cum utitur terminis præceptivis, vel prohibitoriis, jubemus, mandamus, &c. vel expressè onerat conscientiam subditorum, vel adjicit pœnam spiritualem latæ, vel ferendæ sententiæ, &c.
6. Inferes tertio. Siquæ dentur sanctiones à legitima potestate verbis præceptivis latæ, in quibus tamen legislator exprimit, se nolle gravare subditos in conscientia: tunc ejusmodi sanctiones nec esse propriæ leges, neque consilia; sed simplices constitutiones, seu ordinationes. Ita Salmant. cap. 2. punct. 1. n. 7. cum Palao aliisque. Et quidem non sunt propriæ leges, quia non ligant; prout legislator significat, in cuius est potestate imponere vel tollere obligationem. Neque sunt consilia: quia non fiunt verbis suavis, sed præceptivis: sunt ergo simplices ordinationes, quemadmodum multa statuta Regularia SS. Ordinum & Congregationum, Academiæ, &c.
7. Dices primò. Pœna supponit culpam: ergo nemo potest obligari ad subeundam pœnam, priusquam contraxerit culpam. Respondeo primò. Supponit culpam vel Theologicam, vel civilem, & politicam concedo; semper Theologicam, nego. Respondeo secundò. Pœna rigorosè accepta, supponit culpam, concedo; pœna latè accepta & medicinalis, nego: sed quando lex est merè pœnalis, tunc pœna non est rigorosè pœna, quia tantum est quædam molestia & penalitas in finem boni communis inflicta; nec proinde supponit culpam Theologicam, sed civilem.

Dices secundò. Lex fundata in præsumptione facti, deficiente veritate facti prorsus non obligat: ergo non est de ratione legis, quòd obliget. Respondeo. Ejusmodi legè esse conditionatam, si nempe subsit veritas præsumpta, quâ proinde conditione deficiente, neque obligatio, neque lex ipsa ad ejusmodi casum extenditur.

§. II.

Quid de legibus tributorum & vectigalium?

3. CONCLUSIO SECUNDA. Leges tributorum & vectigalium verbis præceptivis conceptæ probabilis obligant in conscientia, si habeant debitas conditiones, ut sunt, legitima autoritas imponente, finis debitus v. g. conservatio Principis, justum bellum, conservatio viarum &c. non excessiva, sed recta quantitas, & proportio moderata. Ratio est: quòd istæ leges fundentur in justitia

tum legali, tum commutativa: in legali, quatenus membrum juxta proportionem suorum virium concurrere ad sublevandas communes necessitates; in commutativa, quâ subditi debent Principi, vel Magistratui sustentationem & reditus congruos propter onera & curam boni publici. Et deducitur efficaciter ex verbis Christi Matth. 22. Reddite, quæ sunt Cesaris, Cesaribus, & maxime Apostoli Rom. 13. Necessitate subditi recte etiam propter conscientiam, ideo enim & irrita præstatis &c. reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal, &c. Neque obest adjuncta pœna taxatio: hæc sola quippe non probat legem esse pœnalem, sed potius arguit gravitatem, & roborat obligationem. Ita cum Couarr. Layman l. 1. tr. 3. p. 1. c. 1. Engel l. 1. t. 2. §. 3. n. 46. Pefschacher q. 4. a. 4. Ubi tamen merito observant Sylvester & Molina, defraudatorem tributorum, vel vectigalium in judicio poenitentiali non statim esse damnandum gravis peccati, neque ad restitutionem, vel pœnam exolvendam ante judicis sententiam obligandum: nam [1.] aliquando est communis, & non vana populi persuasio, sub prætextu publicæ necessitatis, aut congruæ sustentationis, luxum & pompam quærere, vel tributa ob publicam necessitatem primitus imposita, postea sublata necessitate in luxum verti. [2.] vel de justitia tributi impositi dubitatur, & tunc potest esse melior conditio possidentis, ut cum Molina notat P. Engel cit. [3.] vel dubitatur, num lex sit pœnalis, aut non imprudenter ob communem opinionem vel consuetudinem præsumitur esse talis. [4.] Opposita quoque sententia, dicens, leges tributorum esse pœnales, videtur esse practice probabilis [5.] Maxime in forensibus & externis, quibus propter solum transitum magna sepe vectigalia sunt solvenda, nec tamen tanta ipsius obligatio ad bonum alieni Principis aut Provinciæ conservandum incumbit, quàm propriis subditis; [6.] Aliquando etiam tantum est excessus vectigalium impositorum, ut legislator ad eorum solutionem conscientias onerare non voluisse merito præsumi debeat.

§. III.

Quid sentiendum de regulis SS. Ordinum, præsertim S. P. Benedicti?

CONCLUSIO TERTIA. Plurimæ constitutiones & regula SS. Religionum & Ordinum Regularium non obligant in conscientia ad actum, quia aliquæ sunt tantum pœnales, aliqua vero tantum se habent per modum simplicis statuti & regulae dirigentis. Ita non tantum de sui SS. Ordinis sed etiam de Regula S. P. Benedicti sentit S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. & quodlib. 1. a. 20. D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 1. Anton. Perez in prol. reg. de vit. 5. Caram, in Reg. disp. 7. a. 2. Reting de leg. q. 18. a. 3. controvers. 2. docentes: Regulas S. P. Benedicti extra materiam votorum non obligare ad actum, sed in plerisque habere rationem vel legis pœnalis, vel simplicis statuti. Ex quibus ratio assertionis nostræ sic deducitur. Quibus ratio assertionis nostræ sic deducitur. Quibus ratione continentur in sacra Regula, aut similibus præcepta, aut ordinationes & statuta, aut ordinationes & consilia: unde [adverteat D. Anton. 11]

nino cit.] in fronte Prologi S. Reg. S. P. Benedictus, postquam dixit: *Ausculta o fili precepta Magistri*, subiunxit: *& admonitionem pii Patris libenter exipe*. Atqui neque ordinationes & statuta, neque admonitiones & consilia per se obligant sub peccato, cum non habeant vim precepti. Unde *statutum esset putare*, [inquit S. D. cit.] quod *Monachus frangens silentium post Completorium peccaret mortaliter, nisi forte faceret hoc contra preceptum Prælati, vel ex contemptu Regule*: ergo illa solum, quæ in Regula continentur per modum precepti, obligant sub peccato. Subsumtum probatur ex citato S. D. Si Regula extra materiam voti haberet rationem precepti, tunc Monachus illam transgrediens in gravi materia, peccaret mortaliter; siquidem preceptum in materia gravi obligat sub culpa mortali: sed non peccat mortaliter: nam, ut habet D. Tho. in *init. præleg. art. 20. Nihil est peccatum mortale Monacho, vel Religioso cuiuscunque per se loquendo, quod non sit peccatum mortale contrarium ei, ad quod se obligavit voto Professionis*.

Confirmatur primò. Si extra materiam votorum Regula haberet rationem precepti, tunc maxime in præscripta abstinentia à carnibus tanquam gravi materia: sed in hac non habet rationem precepti, uti rursus agnoscit expressè D. Tho. ita loquens loc. cit. *Abstinerè à carnibus non ponitur in Regula B. Benedicti ut præceptum, sed ut statutum quoddam*. Confirmatur secundò: *In obsequio minimum est sequendum*. h. e. cum est dubium de voluntate obligandi, benignior est interpretatio facienda juxta præcatam Reg. Juris in 6: sed non liquet, utrum Regula S. P. Benedicti extra materiam votorum sit potius præcepti-

va, quam purè ordinativa & statutoria: ergo potius præsumi debet, esse directivam, quam præceptivam.

Dixi tamen primò, *per se loquendo, & ex vi Regule*, quia per accidens, & ex directa vel indirecta oppositione cum aliquo voto Professionis fieri potest, ut Benedictinus in transgressione Regule peccet venialiter, vel mortaliter. Et sic primò peccabit mortaliter, si transgrediatur Regulare statutum in gravi materia à Superiore præceptum in virtute sanctæ obedientiæ: vel si transgrediatur ex contemptu formali vel virtuali Regularium statutorum, tunc enim peccat contra statutum Religiosum, & votum conversionis morum secundum Regulam, quo voto etsi Religiosus non se obligat ad faciendam omnia, quæ præscribuntur in Regula [hoc enim esset onus importabile] obligat se tamen ad habendam voluntatem suos mores ad normam Regulæ conformandi, cui voluntati directè contrariatur formalis voluntas Regulæ se non subjiciendi. Secundò peccat Religiosus Benedictinus venialiter, quotiescunque statutum Regulare sine aliqua rationabili causa & altioris virtutis dictamine transgreditur; tum quia talis transgressio est actus otiosus & hoc ipso inordinatus; tum quia remotè saltem disponit ad contemptum Regulæ, sicque remotè & indirectè ad verlatum voto Conversionis morum secundum Regulam.

Dixi secundò. *Habere in plerisque rationem legis pœnalis, vel &c.* in eo quippe assimilatur legi pœnali, quod pro transgressionibus & culpis Regularibus pœnas & expiationes præscribat, quas si Superior transgressorii imponat, iste urgente obedientiæ voto subire tenebitur,

ARTICULUS II.

Quando & quomodo obligent leges pœnales ad subeundam pœnam?

SUMMARI A.

1. Alia pœna lata, alia ferenda sententiæ.
2. Aliaque pœna positiva, aliaque negativa.
3. Quanam leges pœnales obligent ante Judicis sententiam?
4. Pœna privantes jure jam acquiri cepto non obligant ante sententiam declaratoriam criminis.
5. Quomodo post sententiam Judicis teneatur rem subire pœnam?
6. Inferior iudex non potest remittere pœnam lege taxatam.

§. I.

Quid sentiendum de lege illativa pœna spiritualis, & privativa juris acquirendi?

1. Notandum primò. Pœnam lege statutam aliam dici ferendam, aliam late sententia. Pœna ferendæ sententiæ est, cum transgressor obligatur à lege ad sustinendam pœnam post judicis sententiam, quæ sententia dupliciter se habere potest; ut vel sit declaratoria tam criminis quam pœna, vel solum sit declaratoria criminis. Pœna late sententiæ est, quam lex inferet, & ad quam obligat, non expectatâ judicis sententiâ. Pœna

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

late sententiæ colligitur ex verbis legis, si dicat pœnam ipso facto, ipso jure incurvat: Pœna ferendæ sententiæ colligitur, si verba legis loquantur in tempore futuro, modo imperativo, v. g. *suspendatur, excommunicabitur*; aut sint comminatoria, sub pœna interditi, excommunicationis, &c. tunc enim nisi jungantur illæ voces [*ipso facto incurrenda*] lex cenetur statuere pœnam ferendæ sententiæ.

Notandum secundò. In ipsis pœnis aliquas dici positivas, quæ ad sui executionem indigent ulteriori actione, ut solutio pecuniæ, fossio metalli, &c: aliquam privativam, quæ nimirum privat aliqua re, fructu, jure, vel quærendo, vel quæsito, sine ulteriori actione, ut Censuræ Ecclesiasticæ, privatio vocis activæ & passivæ &c: aliquæ pœnæ sunt conditionales, quia non tam sunt pœnæ, quam carentia beneficii, quod legislator non nisi sub certa conditione dare voluit. Sic Clericus beneficiatus habitum non deferens privatur privilegio fori, quia privilegium datur sub conditione habitum deferendi. His positis, cum certum sit, pœnas ferendæ sententiæ non obligare ante judicis sententiam

R r

tiam